



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Prædestinationis primæ gratiæ causam esse bonum vusm futurum ipsius
gratiæ, existimauit Alexan. c. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

est illa gratia commendata ab Apostolo in epist. ad Rom. quæ præcedit omnia merita; sed necesse esse fateri eadem gratiam, ex qua omnis iustitia sumit initium, quam dicit esse fidem, & vocat gratiam, in qua iustificatur, vel gratiam iustificationis, iuxta phrasin Concil. Mileuitani can. 3. & Africanis sub Bonifacio 1. Can. 78. vt late ostendimus 1.2. q. 109. a. 2. & 114. a. 5. & eodem modo appellatur à Patribus Africanis in epi. 90. & 95. vbi inquirunt gratiam, quam contendebant, vt Pelagius concederet: atque hoc modo viurpati gratiam iustificationis à Patribus, notauit Andreas de Vega lib. 8. super Concil. cap. 13. Hoc dixerim obiter (nam ex professo disputandum est 1.2. q. 114. art. 5.) vt ostendam sentent. Bonau. & Iauelli nihil reipsa fauere Pelagio, siquidem Aug. contra Pelagium disputas, eam expresse docuit. Idem enim omnino est, asserere iustificationem fieri ex meritis impetratoriis fidei, atq; iustificationem ex his meritis prædestinari, vt læpino notatum est. Sic ergo Bonau. & Iauelli asserentes prædestinationem à iustificatione incipere, non cōsentiant Pelagio, nec Aug. aduersantur, dū ex meritis factis auxilio gratiæ, quæ non sunt cōsigna, sed congrua, aut imperatoria, prædestinationem factam esse asseuerant.

Hoc autem modo accepta prædestinatione, sententiam hanc reipsa fateri debent, quotquot asserunt, remissionem peccatorum, & iustificationem fieri ex meritis congruis auxilio gratiæ Dei factis, sicut docet viri Catholici doctissimi, Marfil. in 2.

Marfil. in 2. q. 18. ar. 3. concl. 2. & 3. Thom. in 2. d. 27. ar. 4. ad 4. nec ab hac sententia abhorret 1.2. q. 114. ar. 5. vt ibi explicabimus: solū enim negat meritum congruum, primæ gratiæ, quæ est principium omnis meriti, quod est verissimum. Idem docuit Alexand. 3. p. q. 69. mem. 5. ar. 2. §. 1. & Laurentius, Iustinianus in lib. de contemptu mundi cap. 9. Ferrar. 3. contra gen. c. 149. in fine, Rossensis ar. 1. contr. Lutherum §. Nec tertia similitudo. Andreas de Vega in opus. de iustifi. q. 7. & super Concil. li. 8. c. 8. & sequent. Iodocus Tileranus in apologia pro Concil. Trid. super ca. 8. sess. 6. §. 5. Verum hanc calumniam, vbi hoc meritum appellat impetratorium, Francisc. à Dauentria in exegesi contra confessionem Augustinianam fol. 46. Rursum dicitur: quæ sententia meo iudicio verissima est, vt 1.2. q. 114. art. 5. latius ostendimus. Respondent tamen aliqui Augustinum eam sententiam iam retractasse, sicut illam, quam presbyter habuit, nempe, fidem non esse donum Dei, & ea nos primam gratiam à Deo mereri. Verum hæc est manifesta deceptio: nam hæc duo longe diuersa sunt, fidem non esse donum Dei, seu fidem ex propriis viribus profectam promereri primam gratiam: & bonis operibus ex gratia factis, vel ipsa fide, quæ est donum Dei, nos aliam gratiam promereri, aut recte operandi, aut remissionis peccatorum. Licet ergo prius correxerit August. non eo ipso posterius retractauit: imo cum in eis epistolis dicat fidem esse Dei donum, & gratiam sine meritis vllis arbitrij dari, concedit nihilominus meritū aliquod remissionis peccatorum: & sane in doctrina illius epist. quæ post retractationem Pelagij scripta est, nihil est, quod Aug. debuerit retractare. Sed hæc effugia inutilia mittamus. Obijciunt vero Concil. Trident. sess. 6. c. 8. vbi dicit fidem non mereri gratiam iustificationis. Respondeo, quosdam illud intelligere de merito condigno, vt Vega loco cit. ego vero de merito congruo, sed hoc modo, vt Concilium

intelligat per gratiam iustificationis totam seriem gratiæ à prima vocatione, hæc etiam dici solet gratia iustificationis, & gratia in qua iustificamur, vt notauit disp. 88. cap. 1. Hanc ergo, inquit Concil. fides non meretur, vt indicet ab ipsa fide oriri iustificationem, & illam non esse ex proprijs viribus, sed inter Dei dona connumerari, sed de hoc latinis suo loco.

Nec Semipelagianis, aut Massiliens. aliquo modo fauent Bonau. & Iauellus: primum, quoniam si ipsi Semipelagianis faueret: eisdem etiam faueret Aug. Epist. 105. & dum contra Pelagium ageret, in Semipelagianismū inclinaret: quod est plane falsum. Nam ipse ibi contendit, initium omnis iustitiæ, & meriti etiam minimi esse fidem, atque eo tempore iam satis instructus erat contra hos Massil. ita ergo contra Pelagium inquit gratiam vocationis, quæ sine meritis arbitrij datur, vt etiam contra Semipelagianos omne initium boni operis, aut volūtatē ex nobis, propter quod gratia datur, excludat. Deinde Massil. ita causam prædestinationis gratiæ concedebant, vt dicerent, primam gratiam vocationis, meritis, aut initio aliquo bono liberi arbitrij retribui. Id vero nullo modo asserit Bonau. & Iauellus, sed ex operibus factis auxilio gratiæ, dicunt fieri iustificationem; quæ opera appellantur dispositiones, & merita congrua, non condigna; ergo reipsa hi duo Doctores nihil docent contra Aug. sed in modo loquendi ab eo dissentiant, cum asserunt prædestinationem esse solum præparationem, & præfinitionem æternam iustificationis, & perseverantiæ; cum reuera Aug. c. iusq; discipuli prædestinationem appellēt præparationem omnium donorum gratiæ à prima vocatione vsq; ad finem, nam quoties ille contra Pelagium, aut Massil. probat, prædestinationem fieri sine meritis præuisis, loquitur non de gratia, qua formaliter remittuntur peccata, sed qua ad iustitiam vocamus, & incipimus, vt ex epist. citata constat, & ex lib. de prædest. Sancti c. 10. & 2. de bono perseru. ca. 14. cum asserit, prædestinationem esse gratiæ præparationem, aut beneficiorū Dei, quibus certissime saluantur, quicumque saluantur, vt disp. 89. ca. 8. retulimus. Sic etiam Fulgent. locis à me cit. c. 3. & 4. huius disp. effectibus prædestinationis initia nostræ vocationis annumerat: cumque hæc sit communis prædestinationis acceptio, & definitio, eaq; nihil amplius habeat difficultatis quā sententia Bonau. non est, cur communi acceptione relicta, hanc peculiarem Bonau. & Iauelli sequamur. Quomodo vero, etiam si ante iustificationem multa dentur auxilia, quæ videntur communia reprobis, & prædestinatis, nihilominus in prædestinatione nō sint effectus communis prouidentię sed prædestinatis. disp. 93. c. 1. dicemus.

CAPVT VI.

Prædestinationis primæ gratiæ causam esse bonum vsum futurum ipsius gratiæ existimant
Alexan.

Hæcenus recensuimus varias Scholasticorū opiniones, quæ cum viderentur Aug. aduersari reipsa, non opponuntur, sed sola voce ab eius sententia differunt, & à questione quam sæpius disp. longius distant si quid etiam continent falsitatis aperuimus. Iam vero duæ alię supersunt, quæ circa controuersiam, quam habuit Aug. cum Pelag. & Massil. propius versantur. Est igitur quarta

Bonauentura
& Iauelli opinio Semipelagianis non fauent.

Augustini

Gratiæ quo-
modo vsuget
August. cum
aduersus Pe-
lagianos dis-
serit, Fulgēt.

29.

in

in ordine sent. Alex. 1. p. q. 28. m. 3. a. 3. in corp. & ad 2. & 3. qui asserit ex parte effectuum prædeterminationis dari aliquam causam, diuerso tamen modo: nam gloriæ bona opera ex gratia facta sunt causa (inquit) meritoria; primæ autem gratiæ causa quedam congruitatis, est vltus bonus futurus ipsius gratiæ: propter quā causam dicere possumus non absque ratione. Deum prædestinasse hos potius, quam illos. Hanc sententiam tradidisse videtur. Alb. in 1. d. 41. a. 3. qui cum a. 2. eiusdem dist. dixisset nullam causam meritoriam dari ex parte prædestinati, aut suæ prædeterminationis, aut effectus illius proprii, quam dicunt esse gratiam, quia nulla in meritum potest esse ante gratiam: nihilominus asserit a. 3. dari rationem aliquam ex parte effectus, ne Dei prædeterminatio, & voluntas sit absque ratione. Hanc vero, meo iudicio, quantum colligere ex ipso potui, ne sibi contraria doceat, putat esse vltum ipsius gratiæ, & merita ex ipsa gratia futura: nam meritum, quod gratiam præcedat, negavit 2. illo 2. nec solum intellexit cōsignum, sed etiam congruum, & minimum, quod esse possit: quia idem auctor in 2. d. 28. ar. 1. ad 6. cum dicit, si ne gratia gratis data non posse hominem operari bonum morale, bene tamen sine gratia superaddita, hoc est, sine dono gratiæ habitualis, aut supernaturalis, excludit plane omne meritum etiam congruum primæ gratiæ. Probari autem potest hæc sententia, quia non est de ratione causæ meritoriz, ut præcedat tempore ipsam retributionem, siquidem Sanctis Patribus veteris testamenti data fuit gratia ob merita Christi futura: ergo nihil obest quo minus Deus det gratiam propter bonum vltum futurum illius neque obstat, quod bonus vltus sit futurus ex ipsa gratia, siquidem Rex potest dare alicui militi arma, & equum propter bonum vltum equi, quem sperat ex milite: & aliquis potest vendere vineam suam alteri propter lucrum, quod ex fructibus illius accepturus est. Præter Alex. non legi, qui hanc sequeretur sententiam, vel aliquo modo ei faueret, nisi Magist. in 2. d. 5. c. vlt. & Anisio. lib. 3. tract. 1. c. 7. in prin. & ante medium in solutione cuiusdam rationis, qui docent, Angelos in beatitudine fuisse creatos, & eam per opera sequentia testamenti testatur Magist. in 2. q. 4. a. 2. probabilem putat Alb. in 3. d. 18. a. 4. Sed forsitan hi Doctores quamuis de beatitudine concesserint, eam propter opera sequentia dari, de gratia id non dixissent, nec vltimam expresse docuerunt. Imo idem Alex. 3. p. q. 69. m. 5. a. 2. §. 3. disertis verbis negavit gratiam dari ex bono vltu futuro illius: quare sententiam, quam de prædeterminatione gratiæ in 1. p. tradiderat, aperte renouauit. Ex recentioribus vero nullus est, qui affirmare audeat initium primæ gratiæ ex bono vltu futuro ipsius dari; nonnulli tamen id fieri posse assueverunt: de facto ergo id non docent, ne cum Pelagio sentire videantur; de possibili vero, ita asserunt propter rationem adductam, & quia de possibili cum Pelagio nulla fuerit in Ecclesia Dei disputatio. Verumenimvero, quamuis ego omnino falsam existimem sententiam Alex. ex 1. p. citatam, nec voce solum, sed re à communi doctrina Scholasticorum, & ratione alienam; ea tamen Pelagio, & Semipelagianis non fauet; nec contra ipsam vltimam Aug. dissertuit. Ex Scholasticis vero S. Thom. in hoc a. & 1. 2. q. 114. a. 5. ad 2. & Bonau. in 2. d. 27. a. 2. q. 1. Gabr. in 2.

d. 5. q. 1. a. 2. Scot. q. 1. §. infra, loquentes de gratia, an ex bono vltu futuro ipsius nobis deus, illum impugnant. Sed antequam singula demonstrarem, supponam primum contra recitantes illos Theologos in articulo illo: Quod gratia non detur ex meritis, aut ex operibus, non tantum Aug. & Patres contra Pelagium, & Massilien. fuisse locutos de facto, sed etiam de possibili: nam contra illorum errorem semper inferebatur, gratiam non fore gratiam, si ex operibus daretur: quia non donaretur gratis, sed meritis retribuere, iuxta doctrinam Pauli, si ergo sententia eorum, qui putant probabile, posse dari gratiam ex bono vltu futuro, idem assereret de possibili, quod Pelagius, & Semipelagianus de facto affirmarunt, eodem modo illi ex Paulo conuincerentur ab Aug. & aliis Patribus, quod scilicet gratia iam non esset gratia, quare sicut hoc est impossibile, ita & eorum opinio falsa est. Deinde suppono: si gratia dari posset ex bono vltu futuro illius; etiam de facto ita daretur colligere, ut multa alia, quæ dixi d. 89. ex doctrina tradita in 81. cap. 6. quia scilicet Deus non potest vel aliud esse propter aliud & contra: aut vnum in aliud ordine prohibito, sine aliqua congrua mutatione in ipsis rebus facta. Quare si Deus diceretur dare gratiam propter vltum bonum illius, quam modo contribuit propter illum, res ipsæ aliter se deberent habere, vel inter eas variatio aliqua esset, quæ nunc non est. Si enim nunc ita se habentibus rebus, Deus non vult gratiam propter bonum vltum futurum; consequitur nulla in Deo facta mutatio, quæ fieri nequit & nulla facta in rebus, ut nunc supponimus, eodem modo gratiam conferri non propter bonum vltum futurum illius, quæ autem mutatio fieri possit in gratia, aut in bono vltu illius, ut tunc daretur gratia propter bonum vltum, quæ nunc non datur non apparet. Ideo eodem modo semper dicendum est, non solum non dari propter bonum vltum illius, sed neque dari posse. Iam vero ea, quæ diximus contra opinionem Alexandri, sigillatim probemus. Primum quidem eam non funere Pelagio, neque Semipelagianis, pater: quia cum hi dixerint dari gratiam ex meritis, aut ex aliquo bono opere, & voluntate, quæ esset initium gratiæ; vel eam prædestinari à Deo propter opera, quæ ipsi præcipientur: id non asseruerunt de bono vltu ipsius gratiæ, sed de aliquibus operibus solius arbitrij, ex quibus saltem initium aliquod sumeretur, & occasio conferendi gratiam. Sic autem recte contrarios inferebant Aug. & alij Patres, gratiam collatam ob ista opera non esse gratiam, quare ex illis operibus præfieri in æterna præscientia Dei non potuissent. Deinde Aug. in hunc eundem sensum contendit, ubique præsertim lib. 1. de prædest. Sanctis a. 2. vlt. ad 19. gratiam non prædestinari ex meritis futuris cuius oppositum Semipelagianis dicebant. Cum vero dicit, ex futuris operibus non præfieri, non intelligit futura ex ipsa gratia (id enim aduersarij nunquam dixerunt), sed futura ex solo libero arbitrio, quæ non vt futura post gratiam, vel ex gratia, sed vt in tempore futura Deus ab æterno præsciebat: & ita contra eos infert, si ex illis operibus gratia prædestinaretur, non esset gratia: id quod non sequeretur, si ex operibus ipsius gratiæ & bono vltu illius eam dare Deus decreuisset. Quod enim operibus gratiæ gratia tribuatur, non impedit, eam esse gratiam; nec de his operibus loquitur

Albertus.

30.

Exempla quæ
faueant videtur
sententia
Alexand.

Magist.
Anisio.

31.
Proposit.
Magist.

Alexand.

Sententia A.
lexan. etiam
si falsa sit.
Pelagio non
fauet.

S. Thom.
Bonau.
Gabriel.
Scotus.

loquitur Paulus cum ait ad Rom. 11. & alibi, *Alio-
qui gratia iam non est gratia.* Constat ergo senten-
tiam Alex. hac ex parte non esse Pelagij, nec Se-
mipelag. ac proinde nec Aug. opponi, nunc vero
aliis rationibus confutanda est.

Prior igitur ratio sit. Quamuis Deus sciat, om-
nes, quibus auxilia gratiæ suæ prædestinat, bene
vltros ea gratia: ille tamen vsus non potest esse vl-
lo modo ratio, quæ moueat per modum meriti,
aut impetrationis, & decentiæ Deum, vt gratiam
suam tribuat: potius enim est finis, ad quem Deus
gratiam suam ab æterno præparauit: quo fit, vt ita
loquendum sit. Deus gratiam suæ vocationis nobis
prædestinat, vt per eam simus sancti. Ex quo
consequitur, eam non dedisse, quia futuri eramus
per eam sancti qua forma arguendi vitur. Hier. in
illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitu-
tionem vt essemus sancti.* Aug. lib. 1. de prædest. Sancti c. 17.
& Conc. Araus. 2. Can. 25. si enim (inquiunt) elegit
nos vocatione sua, vt essemus sancti, & vt credere-
mus: ergo non quia futuri eramus sancti: hæc nam-
que dux causales quæ, & vt eadem causæ respectu
eiusdem conuenire non possunt: quare si vocatione
datur vt simus sancti, nõ datur, quia futuri sumus
sancti, & ratio est manifesta: quia respectu eiusdẽ
voluntatis idem nõ potest esse finis, & causa me-
ritoria, seu impetratoria, finis enim non impetrat
media, cũ potius per illa futurus sit: merita autem
impetrant finem. Hinc autem illud axioma Theo-
logis satis familiare & verissimum eorum habuit:
Principium meriti nõ cadit sub merito. Hinc etiã pro-
batur, merita Sanctorum Patrum non fuisse cau-
sam Incarnationis Christi quoad substantiam, quia
fuit effectus illius, sic enim loquendum est: San-
cti habuerunt merita, quia Christus venturus erat;
non ergo habuerunt, vt veniret atqui si ea merita
fuisent causa Incarnationis, fuissent etiã causa,
vt Christus veniret; ac proinde non dicerentur
sancti merita habuisse, quia Christus venturus e-
rat: quod est absurdum. Eadem arguendi forma vti
possumus hoc modo: Christus venit, vt quæreret
& saluos faceret, & redimeret omnes Sanctos
Patres iuxta illud Luc. 19. *Venit quærere & saluos fa-
cere, quod perierat.* & illud Pauli ad Galat. 4. *Factum
sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret* quod etiã
in antiquos Patres, quos vere dicitur quæsis-
se, & redemisse, conuenit: ergo non venit, quia
futuri erant sancti, & habituri bona merita. Sed de
hac re latius 3. p. q. 2. a. 11. & supra d. 88. c. non nihil
dictum est. Posterior ratio: si bonus vsus futurus
gratiæ Deo fuisset quodammodo ratio prædesti-
nandi, quos prædestinauit, non potius hos, quam
alios prædestinare debuisset; siquidem ipse optime
nouit Tyrios, & Sydonios penitentiam acturos,
si illis signa concessisset, quæ Bethsaida & Coro-
zain fecit & cum Deo non deesset modus vocandi
Elaui ea vocatione, qua saluaretur, vt notauit Aug. 1.
ad Simplic. q. 2. post medium; sit vt bonus vsus fu-
turus gratiæ nõ fuerit causa, cur iste potius, quam
ille prædestinaretur. Porro argumentum, quod pro
opinionem Alex. fecimus, parum roboris habet: con-
cedimus ergo, posse quidem meritum esse futurum
multo etiã tempore post mercedem, & premium,
vt in Christi merito constat. Quare hoc nihil ob-
esse poterat, quo minus gratia vocationis daretur
propter bonum vsum futurum illius; sed quia prin-
cipium meriti non potest sub ipsum meritum ca-
dere cuius est principium & bonus vsus gratiæ est
Vasquez in 2. part. Tomus 1.

ex gratia ipsa, tanquam ex principio: ideo bonus
vsus nõ potest esse causa, aut ratio propter quam,
Deus gratiam conferre dicatur, aut illum præde-
stinare, quod idem est, exempla aut adducta, quæ
oppositum videntur probare infirma sunt.

At illud de fructibus, vineæ respondeo, posse
quidem in materia iustitiæ & contractuum ita con-
tingere, vt solutio, & pretiũ ex fructibus rei ven-
ditæ percipiatur, etiamsi nulla illis misceatur in-
dustria temporis: pretium autem assimilatur me-
ritis, & res vendita præmio, meritis enim veluti
pecunia præmiũ nobis comparamus; hinc tamen
non sequitur bonum vsum gratiæ posse esse me-
ritum accipiendi ipsam gratiã quæ est principium
illius; est enim longe diuersa ratio contractuum
in materia iustitiæ, & retributionis præmij pro
meritis, secundum propriam rationem meritorum
& præmij cõsiderentur. In cõmutationibus enim
non attenditur dignitas operis secundum bonita-
tem, sed valor utilitatis, secundum quem res æsti-
matur: atq; ex natura rei in cõmutationibus non
magis datum quam acceptum haberet rationem
pretij, nisi consensu hominum statuta esset pecu-
nia veluti regula omnium rerum. Sed cum in om-
ni cõmutatione sit repassio, quia tantum quisq;
damni patitur, vel dãdo rem pro re, vel pecuniam
pro re, vel rem pro pecunia, quãtum accipit emo-
lumentum, ex natura rei nõ magis hoc habet ratio-
nem meriti, aut mercedis, quã illud: imo si aliqua
res in cõmutationibus habet rationem mercedis
beneplacito, & statuto hominũ, est etiã aliquan-
do pretium ipsum: vt cum quis laborat in vinea,
vel locat domum, vel vineam pro tanta pecunia.

Denique in cõmutationibus vnusquisq; dat
alteri rem aliquam, vt ab eo veluti in præmium,
aut pretium habeat aliam: at in retributione præ-
mij pro meritis semper est vnus, qui meretur, &
alius, qui meritis præmiũ retribuit: nec meritum
conuenit vtrique neque retributio; ergo longe di-
uersa ratio est cõmutationis, quam meriti boni
operis, & præmij. Quare nõ repugnat ex re, quam
aliquis alteri vendit, pretium illius sperare trans-
lato in alterum domino rei, cum periculo illius:
repugnat autem fructum gratiæ esse meritum ip-
sius gratiæ, & gratiam veluti mercedem bono v-
sui futuro illius retribui.

Ad aliud exemplum de milite respondet Dur. in
2. d. 6. q. 3. n. 8. in eo casu non dari equum militi
simpliciter, sed sub conditione: & hac ratione ca-
dere posse sub meritum boni vsus, aut sub spe il-
lius: at vero gratiam dari simpliciter, & gloriã eo-
dem modo: & ita neutram cadere posse sub me-
ritum vsus sequentis. Ceterum, cum equus simpli-
citer etiam datur, & non tantum sub conditione,
nec enim pender dominium equi, qui donatur, ex
vsu futuro, etiamsi inducat obligationem talis v-
sus: alio modo respondendum est. Respondetur igitur
ex doctrina S. Tho. 1. 2. q. 114. a. 5. ad 3. hanc esse
differentiam inter equum, seu donum humanum,
quod dari cõsuevit spe mariti, & actionis studiosæ
futuræ, non solum tanquam pro pretio, sed vere
tanquam pro pretio, & inter gratiam, vt non pos-
sit dari propter bonum vsum futurum illius, tan-
quam propter meritum; quod bonus vsus equi,
aut alicuius doni humani tribuitur dexteritati e-
quitis, & industria illius, non autem dono, atque
dexteritas eius, qui donum, seu equum accipit, ex
se tanta est, vt digna sit equo, vel dono, quo in fer-
B b b utium

Doctrina
valde notan-

371

Discrimen
notandum
pro intelli-
gentia secũdũ
exemplũ
August.

566

38.

uitium regis vtatur; at bonus vsus gratiæ non tribuitur virtuti arbitrii, sed gratiæ principaliter, nec gratia datur quod arbitrium ex se reali dono sit dignum; sed potius, vt potius efficiatur, & virtutem accipiat, vt bene operetur & ita bonus vsus gratiæ non potest esse meritum, propter quod gratia detur, sed potius est finis, ad quem gratia donatur.

CAPVT VII.

Henricus, & alij concedunt in nobis causam solum, aut conditionem sine qua non, nostram prædestinationis.

Henric.

Henricus demum, & alij Theol. timentes plane concedere causam prædestinationis meritariam aut impetratoriam, aut minimam dispositionem: id enim suspectum Catholicis semper visum est, dixerunt, arbitrium nostrum esse causam sine qua non, eo quod totus effectus prædestinationis in nobis non sit sine nostra cooperatione, & efficacia: sicut reuera nullus adultus sine meritis, aut proprio consensu saluabitur. Sic docet, *Henri. quodlib. 4. q. 19. & quodlib. 8. quest. 5. Ioan. a Bonon. in opusculis de prædest. 1. p. cum suam assertor opinionem, & in 2. p. post 4. opinionem. & in 2. p. post 6. opinionem, cum eam iterum repetit, & Barthol. Camerac. in dialog. Cathol. cap. 4. §. 1. & seq. sunt etiam recentiores alibi, qui suspectam quoque habentes vocem causæ nolunt concedere hanc causam sine qua non, sed eam vocant conditionem sine qua non: ne scilicet concedant aliquid quod antecedat vt causa etiam sine qua non & per accidens: nam conditio sine qua non, dicitur ab ipsis, effectus quoque alicuius operationis, quod sine illo talis operatio non esset, vt calefactio sine calore producta. Et quidem inter citatos Doctores Ioannes ille à Bononia nunquam appellat arbitrium, & cooperationem illius causam sine qua non, sed inquit, prædestinationem esse non posse sine nostro arbitrio: id quod satis manifestum videtur.*

Ioan. à Bonon.

Camerac.

39.

Alii denique nolunt cōcedere causam sine qua nobis non daretur primus effectus gratuitus prædestinationis, hoc est, prima vocatio gratiæ, sed sine qua illa vocatio, quæ nobis datur, non esset effectus prædestinationis, sed communis providentiæ. Nam quod illa sit efficax, ex nostro pēdet consensu: si autem efficax non esset, ad communem providentiam pertineret, non ad prædestinationem: atqui nobis illam potius à Deo dari, quam aliam, ex nobis nullo modo pender. Alii demum appellant rationem nostræ prædestinationis, non quidem ob quam vnus potius, quam alius prædestinetur, sed quare illi fuerint prædestinati, qui bene erant gratia Dei vsuri.

Verumtamen hi omnes Doctores non attingunt id, in quo Aug. & Patribus fuit præcipua de hac re controuersia neque enim. Patres vnquam dubitarunt totam gratiæ prædestinationem sine nostro consensu perfici non posse, neque ignorarunt vocationem cōgruam, & efficacem non esse sine nobis: quis enim de hoc dubitauit? sed tota illa disceptatio fuit, an prima illa vocatio quam Deus nouit futuram in nobis efficacem, & congruam, nobis prædestinetur, hoc est, dari nobis præfiniatur sine vlla causa, ratione, & cōditione nostri consensus. Et Aug. contendit primum illum effectum, hoc est, primam gratiam sine vlla occasione nostri arbitrii fuisse nobis præfinitam, sicut etiam

August.

40.

in tempore sine vlla tali occasione, aut causa, ratione, vel cōditione sine qua non, fuit nobis donata: eadem enim difficultas fuit semper donationis in tempore, & præfinitionis, aut prædestinationis in præsentia, vt sæpe notatum est. Cum ergo in tempore detur nobis sine vlla causa, ratione, aut cōditione sine qua non, sic etiam prædestinetur. Neque solum negari debet ratio, cur vnus prædestinetur, alii vero non, vt quidam dicebant, sed etiam quare aliquis prædestinetur nulla facta comparatione; siquidem nulla ratio esse potuit, ob quam Deus dederit primam gratiam, nisi per modum finis vt cap. præced. ostensum est.

Porro si de hac prima vocatione loquamur, non vt in nobis sit, vt nobis donetur, qui est primus effectus prædestinationis, sed vt in nobis sit congrua & efficax non solum liberum arbitrium est conditio sine qua non, quæ nullo modo sit causa, vt recentiores posterius allegati autumant, nec solum est causa sine qua non; & per se accidens, nec solum est ratio, sed etiam vera causa per se, & efficiens cooperans primæ vocationi, & gratiæ. Nam eodem modo causa est efficax gratiæ, sicut est consensus: eo enim efficax dicitur gratia, quod consensum efficit in nobis, sed liberum arbitrium est causa per se consensus, dum gratiæ cooperatur: ergo si prædicti Doctores loquantur de complemento primi effectus prædestinationis, aut de eo, quod est congruam, & efficacem esse vocationem, minus recte loquantur nam liberum arbitrium non est causa per accidens, aut sine qua non, quæ proprie dicitur tantum applicare agens ad agendum, vel remouere id, quod prohibet actionem, sed causa propria, & per se, quæ ad effectum per se concurrat, vt ostensum est.

Quod si dicant prædestinationem incipere in nobis non ab ipsa vocatione, secundum quod in nobis est ante consensum, sed ab ea, vt efficaciam habet: certe nostræ prædestinationis nos esselemus causa, vel concausa cooperans per se, quod nullo modo sensu Aug. nec recte dici potest, nisi nomine prædestinationis gratiæ abutamur. Donatio enim vocationis, quæ sit sine nobis, & ante nostrum consensum, effectus prædestinationis est, & eam præfiniri nobis, & præparari donandam in tempore, est prædestinare. Adde, quod nouum genus philosophandi est illorum, qui conditionem sine qua non appellant etiam id quod posterius est operatione, sine quo operatio esse non potest, qualis est terminus operationis in eorum sententia; conditionem enim sine qua non philosophi communiter appellant causam sine qua non, sine causam per accidens, quæ ordine quodam præcedit effectum, & operationem, quod sit requirita ad operandum. Sed de hoc modo loquendi non oportet nos esse admodum sollicitos. Nunc vero dicta sufficiant de opinionibus, de quibus Aug. & antiqui Patres non disputarunt, nec in Ecclesia Dei cum Pelagianis, & Semipelagianis fuit controuersia. Ceterum de hac sententia, & modo loquendi plura disp. seq. cap. 2. dicemus.

CAPVT VIII.

Massilienses cum Casiano, & Gracis Patribus initium primæ gratiæ, & prædestinationis ex nostro libero arbitrio esse dixerunt.

AD Massiliens. sententiam peruenitum est, qui ex aduerso simul cum multis aliis contra Augustinum.